

clamat Dominus, ab his refrænat et revocat errantem plebem suam, dicens: Nolite audire sermones pseudoprophetarum: quoniam visiones cordis eorum frustrantur eos. Loquuntur, sed non ab ore Domini; dicunt eis, qui abjiciunt verbum Dei: pax erit vobis, et omnibus ambulatibus in voluntatibus suis. Omnis, qui ambulat in errore cordis sui, non venient super eum mala. Non locutus sum ad eos, et ipsi prophetaverunt. Si stetissent in substantia mea, et audissent verba mea, et si docuissent populum meum: convertissem eos a malis cogitationibus eorum. Hos eosdem denuo Dominus designat et denotat, dicens: Me dereliquerunt, fontem aquæ vivæ, et effoderunt sibi lacus detricos, qui non possunt aquam portare. Quando aliud baptisma præter unum esse non possit, baptizare se posse opinantur. Vitæ fonte deserto, vitalis et salutaris aquæ gratiam pollicentur. Non abluuntur illic homines, sed potius sordidantur: nec purgantur delicta, sed immo cumulantur. Non Deo nativitas illa, sed diabolo filios generat. Per mendacium nati, veritatis promissa non capiunt. De perfidia procreati, fidei gratiam perdunt. Ad pacis præmium venire non possunt, qui pacem Domini discordiæ furore ruperunt.

X. Nec se quidam vana interpretatione decipiant, quod dixerit Dominus: Ubi cumque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum. Corruptores evangelii, atque interpretes falsi extrema ponunt, et superiora prætereunt; partis memores, et partem subdole comprimentes. Ut ipsi ab ecclesia scissi sunt, ita capituli unius sententiam scindunt. Dominus enim cum discipulis suis unanimatem suaderet et pacem. Dico, inquit, vobis: quoniam si duobus ex vobis convenerit in terra, de omni re quamcumque petieritis, continget vobis a patre meo, qui in cœlis est. Ubi cumque enim fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum, ostendens non multitudini, sed unanimitati deprecantium plurimum tribui. Si duobus, inquit, ex vobis conve-